

BX1749  
T 6  
1769-90  
V. 5

DIVI THOMAE  
AQUINATIS  
DOCTORIS ANGELICI  
ORDINIS PRÆDICATORUM  
OPERA

JUXTA EDITIONEM VENETAM MDCCLV.  
AD PLURIMA EXEMPLA COMPARATA.  
Editio I. Matritensis à quam pluribus mendis purgata.

FR. JOANNIS FRANCISCI BERNARDI MARIE DE RUBEIS  
IN SINGULA OPERA ADMONITIONES PRÆVIAS  
TOMUS QUINTUS



FONDO BIBLIOTECA PÚBLICA  
DEL ESTADO DE NUEVO MÉXICO

182665



EX TYPOGRAPHIA VIDUÆ ELISÆ SANCHEZ  
MATRITI: MDCCXIX.  
SUPERIORUM PERMISSU.

FR. JOANN. FRANC. BERN. MARIE DE RUBEIS,  
ORDINIS PRÆDICATORUM,  
ADMONITIO PRÆVIA,

in qua

- I. Petri Zorni, *Hamburgensis Heterodoxi*, *Programa de varia fortuna S. Thomæ Aquinatis in Scholis Pontificiorum, præsertim Gallorum, ad examen vocatur, & refellitur.*
- II. *Paria commenta, & alia refelluntur dictæria Adami Tribbechorii, Heterodoxi Saxo-Gothani.*



Petri Zornii Hamburgensis, Heterodoxi hominis, *Programma* incidit in manus, inscriptum *De varia fortuna Sancti Thomæ Aquinatis in Scholis Pontificiorum, præsertim Gallorum*, quod prima vice Rostochii anno 1706. editum est, tum inter ejusdem Scriptoris *Opuscula Sacra* Tomo I. semel & iterum recusum Altonoviæ, & Flesburgi anno 1742.

Ad muneris mei partes, qui Admonitionibus in ejusdem Thomæ opera ac doctrinam Venetæ Bettinellianæ editioni inferendis qualescumque labores confero, maxime spectare censui, ut variam hanc Doctoris Angelici fortunam ab hominè Heterodoxo enarratam diligentius expendere. Legi libellum: quem si dixero indigestam confusamque scriptionem, crisi vacuum & ineptam, suæque sectæ præjudiciis plenam, lucidissimam veritatem proferam, moderatiquè animi limites ne latum quidem unguem excedam.

Quod equidem notissimum ut fiat competumque, integrum *Programma*, ac singulas partes ejus ad examen, quod partium studio profusè eliminato instituendum est, advocare liceat. Quamvis Scriptorum (initio libelli inquit) modo adducti, *Guillelmus de Tocco, Bernardus Guidonis, Nicolaus Trivetius*, (quos veteres dumtaxat cum aliquibus recentioribus laudat) de Thomæ multa observaverint; primus tamen Scriptor, qui hic utramque facere poterit paginam, & cui non pauca nos debere, grati profitemur, est Petrus de Alva & Astorga, celeberrimus ex ordine Minorum scriptor. Utramque ergo paginam *Programmatis* efficiet Petrus de Alva & Astorga? Virum nempe intellige, qui medio sæculo præcedente elapso, animo palam infenso in Aquinatem scripsit. Optimas criticæ leges violat Zornius, quæ jubent, synchronos suppareque factis, quæ narrantur, consulendos esse scriptores: neque fidem vel ipsis præstandam clausis oculis, non antea diligentius perpensis eorum conditione, ac peritiâ, & studio, & animi affectibus. Has ego leges jure strictissimo servandas mihi impono, *Programma* Zornii expendenti, & refellenti.

Justam & obviam, quæ contra Petrum de Alva & Astorga, tamquam ducem *Programmatis* delectum, fieri quærela poterat, vidit Heterodoxus Auctor: satisque querenti cuiquè facere studeat. Dicet alius, quis (inquiens) cum Jo. Andrea Schmidio in *Prolusionum Marianarum prima*, studio partium infectum parum favere (Petrum illum.) Sit ita licet; tamen multa præclara observavit, ad veritatis lancem exigenda, sine ulla gratia in Thomam, & odio. Equidem non pauca, in suo *Programmate* transcripta, se debere Petro illi, gratias profertur Zornius. Num eadem ad veritatis lancem exegerit, mox constabit. Absit sane, ut par est, in varia Thomæ formæ fortuna enarranda, gratia quæque erga ipsum: absit & odium. An vero vacuum affectibus gesserit animum Scriptor Hamburgensis, qui Petrum de Alva legit, illustravit, corrasitque; Scriptorum vero, qui apologetica scripta ediderunt, meminisse nuspam? Opera tamen pro Aquinate prostabant, à Francisco Janssens Elinga anno 1664. & 1665. vulgata, à Martino Harnoyo & Joanne Cafalas eodem anno 1664. à Vincentio Baronio anno 1666. à Seraphino Piccinardo anno 1683. ab aliis etiam. Quis fuerit Petrus de Alva, quid in ipsum præstiterint laudati Apologista, judicium ferat Casimirus Oudinus, minime bono, sed iniquo comparatus animo in Aquinatem. Plura habet ille in Dissertatione de Scriptis ejusdem Doctoris: unam, vel alteram animadversionem subjicio. Verba ejus sunt capite xx. *Ita quidem Petrus de Alva ad æmulationem, & invidiam Sancto Thomæ conciliandam. Et capite xxv. Probat thesim suam modicissimis conjecturis, literato homine indignis. Utitur præterea negativis argumentis, nihil concludentibus: itemque MSS. codicibus anonymis, quos omnes Originalia novitius appellat semper. Vidisse me hominem recolo olim dum junior essem, varias percurrentem Bibliothecas, sed festinanter. Unde nihil mihi mirum: quod tam modicam ex tot locis inspectis eruditionem hauserit. Hunc virum egregie dedolavit.*



vit Franciscus Janssens Ordinis Fratrum Prædicatorum... Idem præstitit Fr. Martinus Harneyus ex eodem Ordine. At Oudino fidem ne adhibeas, per me licet: lucidissime namque patebit veritas, purioribus collustrata radiis.

Opus ipsum auspiciatur Zornius à bona & propitia quæ Thomæ viventi arrisit fortuna. „ Thomas (inquit) quoad vixit, extra omnem dubitationis aleam, puriorem de sacris rebus sensum habuit: sed idem „ post mortem, quæ in annum 1274. incidisse dicitur, suos manes demum, & sinistra passus est fata. „ Mors Thomæ incidisse dicitur, inquit, in annum 1274. Emortualem epocam certissimam, quam nemo unus vocavit in dubium, sibi minime compertam fuisse indicat Zornius. Inscitia est, cujus pudeat hominem, qui de varia Aquinatis fortuna singulari Programmate agit. Laudes excipio: queis purior, quem de rebus sacris Thomæ habuit sensus celebratur: at Hominis Heterodoxi præconium cum suspectum esse queat, puriorem sensum in rebus sacris, benevole Lector, intellige Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ Ecclesiæ semper & ubique in Operibus ejus omnino consonum.

Hanc vero bonæ Thomæ Aquinatis fortunæ partem quis non videat nimium jejune à Zornio expositam? Nonnulla profero certissima documenta, quæ doctrinæ ejus præstantiam, & puritatem patefaciunt. Hanc noverat Cancellarius Parisiensis, qui anno 1256. ineunte, nequidquam factiosis quibusdam Academicis repugnantibus, licentiam Thomæ Baccalaureo, ut agebant, concessit Commentarios in Sententias Petri Lombardi nomine suo, proque Magistri munere, coram palamque tradendi in Gymnasio Sanjacobæo. Hac, de re certior factus Alexander IV. summus Pontifex, litteras ad Cancellarium scripsit eodem anno v. idus Martii, quibus delectabile sibi fuisse auditu testatur: quod Dilecto Filio Fratri Thomæ de Aquino Ordinis Prædicatorum, viro utique nobilitate generis, & morum honestate conspicuo, ac thesaurum literalis scientiæ per Dei gratiam, affectu, dederit licentiam in Theologica facultate docendi. Studio haberetur in pretio, plura docent Opera, quæ ad petitionem Urbani IV. teste Ptolomæo de Luca Libro XXII. Hist. Eccl. capite xxiv. elucubravimus: nempe Opus continuum in Quatuor Evangelia, Examen Theologicum libelli ab eodem Pontifice oblato contra errores Græcorum, & Officium Corporis Christi. Pro zelo, quo Sanctus Raymundus de Pennafort Saracenorum & Infidelium salutem æternam deperibat, opus Aquinatis injunxit, Petro Marfilio ejus ævi teste, quod eorum ad conversionem utile foret: illudque perfecit S. Thomas inscriptum, de veritate Fidei Catholicæ. Tamum Doctorem diutius absentem passa non est Universitas Parisiensis: iterumque docentem ab anno 1269. ad 1271. ipsum audivit. Eodem ad finem vergente anno, cum in Italiam remigrasset, ipsum ad regendas Neapoli Scholas accivit Rex Carolus Andegavensis, lato Diplomate prima Indictione mensis Octobris. Principes Viri, Rex Cypri, & Comitissa Flandriæ, Archiepiscopus Panormitanus, Archidiaconus Tridentinus, Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, Cantor Antiochenus, Sacræ Theologiæ Lectores, plures alii oraculum Thomæ adibant, ut responsa in dubiis, quæ emergebant, controversiis obtinerent, ipsique factum satis, egregiis Opusculis elucubratis. Sancti Doctoris obitum litteris anno 1274. datis indoluit Universitas Parisiensis, in quibus præstantissimi Theologi testantur: ab collegio suo requisitum Thomam anno 1272. ut tertia vice docentem audirent, non potuisse obtinere, utpote Scholas Neapolitanas regentem. Cum vero degentem inter vivos habere ipsum non potuerint, ejusdem jam defuncti ossa pro maximo munere postulavit: quoniam omnino est indecens & indignum, inquiunt, ut altera natio, aut locus, quam omnium studiorum nobilissima Parisiensis civitas, quæ ipsum diu educavit, nutrit, fovit, & postmodum ab eodem doctrinæ documenta, & ineffabilia fomenta suscepit, ossa inhumata habeat & sepulta. Demum humiliter supplicamus (ad Generalia Ordinis Comitia scribebant) ut cum quædam scripta, ad Philosophiam pertinentia & spectantia, Parisiis inchoata ab eo, in suo recessu reliquerit imperfecta... nobis benevolentia vestra communicare curetis. Tam magno scilicet in pretio Opera Thomæ habebant Magistri Parisienses, ut modicis etiam carere quibusdam Tractatibus non paterentur. Hæc abs scriptore, qui variam Thomæ fortunam enarrat, absque nota prætermitti potuisse, dixerit nemo.

Quinam fuerint manes, quænam sinistra fata, quæ post Aquinatis obitum fama, & doctrinæ ejus passa sit? „ Cum in Academia Parisiensis pessimi quique errores post Thomæ obitum sensim pullulare „ inciperent (inquit Zornius) Stephanus de Tempier Episcopus Parisiensis anno 1277. errores cccxlii. „ publicis litteris damnavit ipse, & ab aliis damnandos curavit. Rumor tum nescio quis in vulgus „ exiit, in illa Stephani epistola doctrinam Thomæ, sive majorem partem, sive integram fere spectes, „ tangi: maxime cum errores, quorum sensum explicationemque rejecerat Stephanus, ad litteram in „ Thomæ scriptis reperiri crederentur... Jam igitur de Thoma, ejusque æstimatione videbatur actum: „ sed cum anno 1323. Thomas à Joanne XXII. in Sanctorum numerum adferberetur, & tunc tempo- „ ris Stephanus de Borreto Episcopus Parisiensis esset, Patres Prædicatorum per suos Nuncios, publi- „ co totius Ordinis sui nomine, & consilio, anno 1324. à Stephano conceptissimis verbis petierunt, „ ut prædicta Antecessoris anathemata, quæ vel tangebant, vel tangere saltem videbantur doctrinam Tho-

„ mæ

„ mæ de Aquino, è medio tolleret. Neque vero abnuvit Stephanus de Borreto: sed relicto precibus lo- „ co, Antecessoris excommunicationem per litteras obliteravit prorsus. „ Imminuta sunt aliqua alia fal- „ sa: ac his mala fides immixta. Dicuntur pessimi quique errores post Thomæ obitum sensim pullulare incæpisse. Gratulandum Aquinati, qui tam validum hisce commentis, dum Scholas Parisiis regeret, sane doctrinæ præsidium opposuerit, ut non nisi post ejus obitum pullulare ipsa incæperint. Rumor tamen nescio quis in vulgus exiit, in Epistola Stephani, quæ plurimas anathemati subjecerat theses, doctrinam Thomæ tangi: at rumori nescio cui prudens nemo fidem adhibeat. Par erat, ut pro munere sibi imposito litteras Antistitis Parisiensis adiret Zornius, ipsiusque mentem, vanitatemque rumoris addisceret. Hæc enim disertissime scripta leguntur: Magnarum & gravium personarum crebra, zeloque fidei accensa insinuavit relatio, quod nonnulli Parisiis studentes in Artibus, propriæ facultatis limites excedentes, quosdam manifestos & execrabiles errores, immo potius vanitates, & insanias falsas... quasi dubitabiles in Scholis tractare, & disputare præsumunt. An Thomas fuerit, qui inter Parisiis studentes in artibus numerari debeat? An ille, qui cum sacras doctrinas tradiderit è suggestu, ac plurimis editis operibus illustraverit, propriæ nihilominus facultatis limites excesserit? An ille demum manifestos, & execrabiles errores, vanitates, & insanias falsas invexerit, à quo se doctrinæ documenta, & ineffabilia fomenta suscepisse, integra, & grata profiteatur Universitas Parisiensis? Hæc Stephani verba luculentissimum perhibent innoxie à Thoma traditæ doctrinæ testimonium. An objeceris cum Petro de Alva, & Astorga, theses damnatæ, de modo differentie inter Angelos intercedentis, auctorem alicubi enuntiari Fratrem Thomam? At manus interpolatricis audaciam, & fraudem evincunt edita plura thesorum damnatarum exempla, ac Manuscripti Sorbonici codices à Carolo Duplessis d' Argentrè allati in Collectione judiciorum de novis erroribus, in quibus verba illa desiderantur.

Rumor attamen nescio quis in vulgus exiit, in illa Stephani Epistola doctrinam Thomæ, sive majorem partem, sive integram fere spectes, tangi. Agebat Petrus de Alva, doctrinam Divi Thomæ fuisse interdictam quoad ducentos viginti duos articulos: buccas rumpere videretur Petrus Zornius, majorem doctrinæ Thomæ partem, sive integram fere, in eadem epistola tactam effutiens. Thomæ doctrinam, quam damnatam ait, ad articulos ducentos viginti duos redigit ille; integram fere, à Thoma traditam in operibus suis doctrinam, anathemati subiectam refert iste. Nempe illud insanum, insanius istud: ac mirum, quomodo vel Petri de Alva, vel Petri Zornii assertio (ut verbis utar Oudini) in mentem honesti hominis ingredi, atque è lingua egredi poterit! Sed vestigia ducis sui sequens homo Heterodoxus: Maxime, inquit, cum errores, quorum sensum explicationemque rejecerat Stephanus, ad litteram in Thomæ scriptis reperiri crederentur. Sunt aliquæ theses, quibus inest adjuncta pravi sensus damnati, ac boni, & innoxii explicatio. Cur hanc explicationem à Stephano rejectam, imponis? Immo Thesium damnatarum collector explicationem addidit, ut Stephani mens in ea censura innotesceret, Sylvio animadvertente in Oratione Apologética pro Sancto Thoma Aquinate. Quod si doctrinam Thomæ damnaverit Stephanus, aut integram fere, aut quoad articulos ducentos viginti duos; ad litteram ergo prostabit in ejus operibus Articulus primus, quod Deus non est trinus & unus: ac secundus, quod Deus non potest generare sibi similem: & tertius, quod Deus non cognoscit alia à se; & quartus, quod nihil est æternum à parte finis, quod non sit æternum à parte principii: & quintus, quod omnia separata coætæna sunt primo principio, & similes alii quamplures. Insani capitis hæc sunt deliria.

Rumorem, qui contra Thomæ doctrinam in vulgus exiit, refert Zornius. Cur silentio præterit rumoris auctores? Cur gavisimos Thomæ Apologistas non memorat? Hæc utique ad variam ejus fortunam, si qua fuit, omnino pertinent. Ignorat nemo, rumoris præcipuum auctorem fuisse Guillelmum la Mare, vel de Mare, seu de la Mare, quem Vvadingus, nobilis Annalium Ordinis Minorum Scriptor, ad annum 1290. num. 18. vocat serium nimis indagatorem eorum, quæ objicere posset contra Sanctum Thomam. Librum edidit anno 1284. inscriptum: Correctorium Fratris Thomæ: cui sine mora Apologiam, quam inscribere Correctorium corruptorii Fratris Thomæ, opposuerunt intrepidi vindices, Ricardus Clapool Anglus, Joannes Parisiensis hujus nominis alter, Ægidius de columna Romanus, alique Anonymi. Hæc vero quisquis animadvertat serio, minime cum Zornio dixerit, de Thoma, ejusque existimatione fere actum fuisse. Imo Thomæ existimatio incrementa habuit maxima. Stephanus quippe de Boureto, & ipse Antistes Parisiensis rumorem, qui contra Thomam exiit in vulgus, cohibuit compressitque, litteris datis apud Gentiliacum anno Domini 1324. die Jovis ante sacros cineres, stylo novo 1325.

In his Antecessoris anathemata, quæ vel tangebant, vel tangere saltem videbantur doctrinam Thomæ de Aquino, obliteravit prorsus. Zornii verba sunt, quæ minime Stephani sententiam exprimunt. Hæc ita se habet: Supradictam articulorum condemnationem, & excommunicationis sententiam, in quantum tangunt, vel tangere asserunt sanam doctrinam Sancti Thomæ... totaliter annullamus. Persuasum erat Viro doctissimo, ea mente Stephano de Tempier quosdam articulos damnasse, ne forsitan eos male intelligentes, caderent in errorem. Siquidem petulantes quidam studentes in artibus, ac propriæ facultatis limites excedentes, putida Averrois,

&



& Arabum commenta vulgabant in Scholis, eademque ut facilius invehent, innoxiarum cortice thesium tegebant. Tres, vel quatuor, paucissimæ sine dubio, littera inspecta, prostant in operibus Thomæ, sed alio sensu: hinc in tuto ut poneret ab eodem Doctore propugnata dogmata, sive Philosophica, sive Theologica, obliterare articulo condemnationem, & excommunicationis sententiam, censuit Vir prudentissimus sub his verbis: *in quantum tangunt, vel tangere asseruntur* (non videntur, ut Zornius) *sanam doctrinam Sancti Thomæ. Tactam revera ab Antecessore doctrinam Aquinatis, minime existimabat: infensum tamen aliquorum animum noverat, qui id adferebant.* Lata sententia hostes debellavit, animumque suum aperuit præconio laudum, quo Thomam celebrat: *Fuit, inquit, universalis Ecclesie lumen præfulgidum, gemma radians Clericorum, seu Doctorem, Universitatis nostræ Parisiensis speculum clarissimum, & candelabrum insigne & lucens: per quod omnes, qui vias vitæ, & Scholæ doctrinæ sacræ ingrediuntur, lumen vident: claritate vitæ, famæ claræ, & scientiæ lucidæ, velut stella splendida & matutina, refulgens.*

At Patres Prædicatores, inquit Zornius, per suos Nuncios, publico totius Ordinis sui nomine, & consilio, à Stephano conceptissimis verbis petierunt, ut prædicta Antecessoris anathemata è medio tollerent. Neque vero abnuvit Stephanus, relicto præcibus loco. Commune Prædicatorum Ordinis votum istud fuisse, pro certo habeo: at supplices libellos à Viris dignitate, & doctrina clarissimis oblatos, ejusdem Stephani de Bourto litteræ docent. Cur eas non legerit Zornius? Habeo: *Venerabiles Viros, Decanum, & Capitulum Ecclesie Parisiensis, per Venerabilem Virum Magistrum Annibaldum Decanum, Atrabatensem Archidiaconum, Sacræ Theologiæ Doctorem, & Dominum Petrum de Flagello Parisiensem Canonicum, eorum propter hoc Nuncios ad nos specialiter destinatos, nos requisivisse, nobisque supplicasse &c.* Habeo etiam supplices libellos datos à Venerabili Patre Domino Guillelmo Dei gratia Viennensi Archiepiscopo Sacræ Theologiæ professore, & aliis viginti tribus Magistris in Theologia. Habeo demum litteras triginta novem Baccalareorum in Theologia, super hac re consulentium, & rogantium. Pollicitus erat Zornius, nihil se ex libellis Petri de Alva & Astorga transcripturam, quod ad veritatis lancem non exigeret. Transcripsit siquæ dubio omnia: ad veritatis lancem exegit nihil.

Ex eo tempore (pergit ille) Thomæ scripta in Scholis publice cæpta sunt perlegi, & commentari (ad negotium usque, quod anno 1387. habuit Joannes de Montefono cum Academia Parisiensi.) Quæ Universitas objecit Thomæ tot in fide errores, tot contrarietates, tot repugnationes, etiam in materia ad fidem pertinente. Nota legitur in Margine: „Ante alios Petrus de Alliaco in Libro contra Joannem de Montefono contradictiones in Thomæ apparentes collegit. Sed ad istas repugnantias conciliandas testatur Joannes Vitalis Doctor Parisiensis, Thomam ipsum scripsisse *librum retractationum.*“ Dubium nullum, ad lancem veritatis haud curasse Petrum Zornium ea examinare, quæ ex Petro de Alva colligebat. Thomæ objecerit Academia Parisiensis in fide errores? Magistros qui contra Montefonum anno 1387. stylo novo 1388. die 14. Mensis Februarii apud S. Mathurinum sententiam tulere, luculentissime testantes habeo: *Nos millesies diximus... qualiter Sancti Thomæ doctrinam in dicta nostra condemnatione nequaquam reprobamus.* Quid? quod ipse Petrus de Alliaco, qui plus nimio calamum acuit, in Actione sua dicta Avenione in Consistorio num. 2. sic ait: *Protestamur, quod contra honorem, & reverentiam Sancti Thomæ de Aquino, aut doctrinæ ipsius nihil omnino proponemus.* Dixerat etiam in sermone 1. coram Papa Clemente, in ejus obedientia vii. *Quod nulla earum (thesium, quæ damnandæ proponebantur contra Montefonum) ex dictis S. Thomæ dogmatizanda sit, quamvis possem ostendere, nunc omitto.* Hæc sunt inconcussa documenta, quibus non varia, sed bona semper ac propitia pro meritis fortuna Thomæ innititur.

Candido tamen fateor animo, minus æquum in Sanctum Doctorem præbere se Petrum Alliaccensem in fusore, quem edidit, hac de re Tractatu. Exempla errorum Divi Thomæ cap. 1. & exempla contrarietatum etiam in materia ad fidem pertinente cap. 111. adducit ille. Judicem ego postulo æquissimum, qui sine gratia & odio sententiam ferat. Primum exemplum errorum I. P. Summæ quæst. XLVI. art. ult. in Resp. ult. arg. *quod non est possibile aliam terram esse quam istam, quia omnis terra naturaliter ad hoc medium ferretur, ubicumque esset.* Quæ præcedunt verba Thomæ, hæc sunt: *mundus constat ex tota sua materia: quibus innotescit, de uno illo Sanctum Doctorem loqui mundo, qui est.* Hinc verba quæ sequuntur, par est intelligi debere secundum potentiam mundi materialem, ut ait Sylvius, & spectato eo rerum cursu qui nunc est: non autem secundum potentiam Dei Creatoris, neque spectato illo rerum cursu, quem ipse potest pro suo beneplacito dare. Confule ibidem, quæ aptissima Thomæ documenta afferuntur. Jam primus error in auras abiit. Secundum exemplum infra quæst. 1. art. 4. & quæst. LXXV. art. ult. *quod impossibile est duos Angelos esse ejusdem speciei.* Thesis innoxiam pro genio ingenioque vel tuentur, vel rejiciunt Theologi, ac Philosophi in Scholis. Nihil enim divinitus Ecclesie Catholice traditum est, quod Angelorum differentiam, qualis ea demum constituenda sit, clare detegat. Tertium exemplum infra quæst. LXXVI. art. 3. & 8. *de unitate formæ substantialis in homine.* Judicium accipe Guille-

lelmi Ochami in Dialogis I. P. Libro H. cap. XXIV. *Dicunt quidam, quod damnatio (prædictæ thesæ, similliumque à Roberto de Kildvvardbi Archiepiscopo Cantuariensi lata) temeraria existebat, eo quod veritates, ut dicunt, condemnavit. Unde & quidam alius Archiepiscopus (Corinthi, Guillelmus de Morbeka) ipsum dicta damnatione acriter reprehendit... Plures alii ipsam (damnationem) fuisse temerariam putarunt. Plures enim Parisienses Doctores, & Scholares assertiones damnatas (à Kildvvardbio, & postea à Joanne Pekamo) publice tenuerunt.*

Primum exemplum contrarietatum in materia fidei, I. Sent. dist. XI. art. 9. *quod Pater & Filius possunt dici sicut duo Spiratores.* In prima vero parte Summæ quæst. XXXVI. art. ult. *quod sunt unus spirator, & non duo.* Nempe utrobique duorum spirantium annuntiatio sustinetur: etiam duorum spiratorum priore in loco, minus proprie: at spiratoris unius loco posteriore, melius, & salva substantivi nominis proprietate. Quid reprehensione dignum? Secundum exemplum, quia in II. Sent. dist. 1. dicit, *quod creatio instrumentaliter communicari potuit creaturæ, sustinens in hoc opinionem Magistri.* In prima vero parte Summæ quæst. XLV. art. 5. dicit, quod non. Nimirum genus est controversiæ, quod ad fidem non attinet. Opinionem Magistri Sententiarum, quam non rejicit Thomas Commentator, rejicit postea provocatus ætate. Nodum in scirpo quaerit qui hæc objectat. Tertium exemplum, quia in III. Sent. dist. VI. quæst. 11. art. 2. dicit, quod prima opinio ibi posita à Magistro non est hæretica, licet sit falsa: scilicet, *et, quod Filius Dei assumpsit hominem, ex humana carne & anima rationali constitutum.* in tertia vero parte quæst. 11. art. 3. in fine dicit, quod est hæretica, & condemnata in Concilio. Opinabantur nonnulli apud Magistrum Sententiarum, Filium Dei adsumpsisse naturam humanam, non individuum solum, verumetiam aliquo modo subsistentem, minime vero personam; subsistentiam in homine à persona subtilius distinguentes. Opinionem passim insequitur Doctor Aquinas, tamquam *inintelligibilem, & impossibilem*: ab inurenda hæreseos censura primo loco abstinent: thesim notat loco altero, veluti *erroneam, & incidentem in hæresim Nestorii in Ephesino Concilio damnatam.* In his antilogiam somnias, quæ nulla est. Quartum exemplum, quia in IV. Sent. dist. XXXVI. art. 4. ad 3. dicit, *quod potest Papa dispensare in voto (solemni) continentia.* Et 2. 2. quæst. LXXXVI. art. 11. dicit, quod non. Sed hæc secunda opinio videtur esse erronea in fide, cum sit contra observantiam Ecclesie, quæ in tali voto quandoque dispensavit. Animadvertite, Thomam loco priore alios referre, qui dicunt *probabilius*, in voto continentie, & in voto religionis dispensari posse, *si communis utilitas totius Ecclesie, aut unius Regni, vel Provinciae exposceret*: loco altero verba ejus esse moderatione plena, *ideo aliter*, inquit, *videtur dicendum.* Alterutram opinionem pro libito amplectuntur Theologi, ac tuentur: quæve dispensationum exempla afferri solent, ad criticorum leges exacta, dubia sunt. Quis vero non admiretur, tam pauca in operibus Thomæ post improbam perquisitionem ab Alliaccensi inveniri potuisse, quæ bellicarentur? Sane imprudens ille fuit, qui doctrinas innoxias, veluti errores traducere nimia confidentia voluit: illi vero infani, qui veteres calumnias, toties profligatas instaurare nituntur. Hac de re egimus uberiore calamo in alia Prævia Admonitione.

Sed alias plurimas in operibus Thomæ proflare antilogias, indicat Zornius: *ad quas, inquit, conciliandas, testatur Joannes Vitalis, Thomam ipsum scripsisse librum retractationum.* Ipse Petrus Alliaccensis post superiora allata exempla, postremum generale profert: *quod sumitur, inquit, ex quodam Tractatu Sancti Thomæ de Concordia quorundam dictorum suorum inter se discordantium, qui incipit: Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia; ubi multa diversa, quæ in doctrina sua continentur, corrigit, & exponit, Zornium, qui criticum agit, compello, num ad veritatis lancem exegerit quod profert? Cur vero non animadvertit, opusculum istud, quod in Editione Romana LXXI. numeratur, minutis characteribus expressum fuisse? Cur synchronos suppareque Nomenclatores non adierit, Guillelmum de Thoma, Nicolaum Trivetum, Bernardum Guidonis, Bartholomæum Logotheram, Petrum Rogerum, S. Antoninum, qui nullam prædicti libelli mentionem ingerunt? An opponat Prolomæum Lucensem, *item dicitur, inquit, fecisse Tractatum de Concordantia dictorum suorum?* Verba synchroni Auctoris agnosco, sed ex incerta fama scribentis. Leander Albertus testatur, simile opus elucubratum fuisse à Benedicto de Assignano, qui anno 1339. ad plures abiit. Quidni laudato Scriptori opusculum istud, nomini Thomæ suppositum, tribui debeat? Opus aliud ejusdem argumenti, quod vocat *magnum librum*, profert Petrus de Alva & Astorga, ab Hervæo de Landæ (ut ait ille, corrige vero & lege de Cauda) compositum. Quid facilius, quam Thomæ supponi potuisse Opusculum, quod ejus discipuli elucubraverunt? At *magnum librum*, quem vocat Petrus ille, animadvertite, unico folio totum & integrum comprehendit, quod propriis vidit oculis Jacobus Echardus in Codicibus Mss. duobus, Victorino, & Sorbonico. Quid vero demum? Thomæ doctrinæ detraxerint quidpiam hujusmodi opera ab ejus discipulis concinnata? Non in isto (verba sunt) laudati Echardi in ejusdem Hervæi elogio hinc adversus Sancti Thomæ doctrinam sequi nihil. Quorū parentes Sacræ Scripturæ antilogias in concordiam reducere studuerunt? Immo argumentum est summæ, de aliquo Auctore existimationis, cum omnia ejus verba expenduntur: & quæ variis locis ab eo dicta in*